



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 21. Galliarum Rex Rothomagum ingressus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A. C. 1449

villarium reddere, necnon Gallos a se captos libertati restituere sponderet, Regique infra annum quinquaginta aureorum millia pendere, & Talbotum unacum aliis quinque, vel sex belli Præfectis obsides relinquere pacisceretur. His conditionibus ita firmatis Duci, ejusque conjugi, atque liberis, cunctisque præsidariis militibus feso, quocunque libuerit, recipiendi, secumque omnis generis impedimenta, exceptis majoribus belli tormentis, devehendi copia concessa est, datis liberi commeatus literis. Præterea Rex sibi Harflevium cedi postulabat; id vero Somersetus constanter recusavit, ne, inquiebat, urbem illam, quæ inter primitias Victoriarum Henrici V. numeratur, hosti tradicisse argueretur. Interim Dux iste feria tertia, quæ erat quarta dies Novembris, unacum militum suorum reliquiis Rothomago excessit.

§. XXI.

Rex Rhotomagum ingressus.

Igitur die decima Novembris, qua Sancti Martini profestum agebatur, Rex Jean. Char. solemnissima pompa, & magnificentia tier. Hist. vere Regia, quam fusiore calamo Joan. Carol. VII. pag. 180. nes Chartierus describit, Rothomagum Art. 1449. ingreditur. Agmen ducebant primi Satelli-

tellites Regii, istos sequebantur ipsius Regis ^{Sæcul. XV.}
 Galliæ, Siciliæ, aliorumque Principum ^{A.C. 1449.}
 Feciales scutario Regis symbolo insigniti.
 Hos excipiebant, præcedentibus Buccinato-
 ribus, Ursinus Cancellarius habi-
 tum ad ejusmodi pompam scite composi-
 tum indutus, Regii stabuli Magister, a-
 liusque, Fontenilus nomine, qui Regis
 gladium præferebat. Demum ipse Rex
 incedebat armis instructus, ac generoso
 vectus equo, per cuius dorsum ad pe-
 des usque defluebat tegumentum feri-
 cum cœrulei coloris, liliisque auro intex-
 tis distinctum. Ornabat Regis caput pi- *P. Daniel*
 leus rubro holoferico intus textus, cuius *Hist. Carol.*
 summitas flocco filis aureis splendido *VII. to. IV.*
 fulgebat. Ab illa die in Galliis cœpit,
 ac successu temporis invaluit pileos, at-
 que Galeros deferendi usus; cum priore
 ætate capitia duntaxat gestare solemne
 eset. Præterea Regem comitabantur
 illius ephebi, cuius latera stipabant Re-
 natus Siciliæ Rex, & Comes Cenoma-
 nensis Frater ejusdem. Sequebantur
 denique Nivernensis, S. Pauli, & Clare-
 montanus Comites, Culani Toparcha
 Regiæ Aulæ Magister, & Caletensis Præ-
 tor, qui Vexillum tribus liliis aureis in
 cœruleo holoferico depictis gestabat, aliis
 pluribus Proceribus agmen claudentibus.
 Regiæ suæ Majestati obviam processit
 Comes Dunensis, qui Archiepiscopum
Rotho-

Sæcul. XV. Rothomagensem, Lexoviensem, Bajocensem, & Constantiensem Episcopos una cum Primoribus Urbis in Caroli conspectum duxit, a quibus Rex, cum portam Bellovacensem ingrederetur, & prope Ecclesiam Beatæ Virginis equo descendisset, gratulatoria oratione exceptus est. Talbotus Anglicæ militiae Præfectus, qui obses retinebatur, æque ac Sommerseti Ducissa, quæ congruo equorum apparatu destituta Rothomagi adhucdum hærebat, solemnis hujus pompæ spectatores erant.

§. XXII.

Harflevii urbis expugnatio.

Peractis hisce solemnniis Rex aliquamdiu Rothomagum præsentia honorabat, ut Officiales nominaret, urbemque optimis legibus, atque institutis temperaret. Concredidit supremam Rothomagensis ditionis Præfecturam Petro Brezæo Pictaviensi Senescallo. Præterea singulæ pacis conditiones cum Anglis initæ executioni datæ, præter solam Jullionam, cuius urbis Præfectus, nomine Cursonius, ditionem pertinacius recusabat, & id quidem iniquiore Talboti fato, qui eam ob caussam diutius obses detinebatur. Cum vero Sommersetus Dux Harflevium (aliis Arufluctum dicitur) Regi cedere constanter obluctaretur, Galli arcem